

DISSERTATIO ACADEMICA,
COGITATIONES NONNULLAS
DE
PIIS sic dictis FRAUDIBUS,
Exhibens.

QUAM
VENIA AMPL. FAC. PHILOS. ABOËNS.
PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT
PETRUS WALLENIUS,
Phil. Mag. & ad Leg. Venat. Carel. Concion. Ext. Ordinarius.

NEC NON
JOHANNES GUSTAVUS FLORIN,
Stip. Reg. Tavastensis.

In Auditorio Superiori d. 15 Maji 1799.

Horis a. m. solitis.

ABOË, 82.
In Officina FRENCKELLIANA.

INSTITUTO ACADÉMICO

DE CIENCIAS Y LETRAS

DE

LA UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUAYAMA

GUAYAMA

GUAYAMA

UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUAYAMA

INSTITUTO ACADÉMICO DE CIENCIAS Y LETRAS

DE LA UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUAYAMA

INSTITUTO ACADÉMICO DE CIENCIAS Y LETRAS

DE

LA UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUAYAMA

GUAYAMA

UNIVERSIDAD DE SAN CARLOS DE GUAYAMA

GUAYAMA

GUAYAMA

INSTITUTO ACADÉMICO DE CIENCIAS Y LETRAS



§. I.

Inter rationes tam ineptas quam noxias quibus pravitas humana sapientissime est usa, ad moralia præcepta pervertenda, ea quoque referenda venit, qua finem media quæcunque ad eum obtinendum adhibita reddere iusta, siue actiones pravas bona intentione susceptas, si non laudabiles haberi attamen excusari recte posse, multi existimarunt. Qualia exempla sæpe in vita communi obvenire experientia docet. Ac quamvis Sacra Scriptura expresse statuat; non esse facienda mala, ut inde eveniant bona; tamen nonnulli etiam Christianorum satis mature contrariam adoptare & sequi rationem coeperunt: Unde in Historia Ecclesiastica notae, satis & a sanioribus merito damnatae *Piæ* sic dictæ *Fraudes* ortæ sunt, quas adhibere veteres quidam Ecclesiae Doctores non dubitarunt, ad populum salutariter (prout rebantur) decipiendum, ac inprimis infideles & hæreticos in suas partes trahendos, immo sæpe, posterioribus præcipue temporibus, ad privata sua commoda, sub prætextu Religionis, promovenda. Cum igitur nobis esset, Specimen quoddam

Academicum edendum, atque publico subjiendum examini, hanc materiam eligere placuit, in qua expendenda vires ingenii tenues periclitaremur: licet fatendum nobis sit, perbreve nobis ad eam elucubrandam relictum fuisse spatium temporis, adeoque minorem ei tractandæ impendere operam licuisse, quam rem postulare satis experti sumus. Nempe discedendum ex Academia citius nobis fuit, quam sperabamus; attamen Meditationes nostras qualescunque, iudicio Lectorum ea spe fulti subijcimus, fore, ut excusationem saltem, si non approbationem suam conatus nostri sint inventuri.

§. II.

Quales fuerint Fraudes, pietatis nomine temere et impie defensæ, antiquo et medio imprimis ævo satis frequenter adhibitæ, neminem fugit, in Historia Ecclesiastica vel aliquantulum versatum. Ad harum enim familiam jure referuntur, non solum monumenta varia et Libri spurii, celebribus et veneratione florentibus suppositi Auctoribus, verum etiam narrationes confictæ et pro veris venditæ, miracula varia mentita, et viris pietate conspicuis vel fama celebratis adscripta, aliaque ejusmodi inventa atque consilia, ad homines sub Religionis adjuvandæ obtentu fallendos, inita.

Origines horum stratagematum considerantes, ea antiquissimis jam temporibus, apud plures Gentes simili consilio adhibita fuisse, sine multo labore

invenimus. Veterum Rerumpublicarum Instituta percurrentes, plurimos antiquorum Legislatorum ad religiosas fraudes se convertisse, et originem Divinam propositis a se Legibus affinxisse, deprehendimus, *Lycurgus* Spartanis Leges laturus optimas, eas *Apollini* Delphico se acceptas ferre finxit; ratus, exacta origine Divina, et Auctoritatem et observantiam perennem Legibus accessuras suis. (a) *Zaleucus* qui *Locrensis* Leges dedit, eas a *Minerva* per insomnium se nactum fuisse tradidit, (b) etquam sanctitatem Legibus suis addere annisus est, exemplo etiam confirmavit, post mortem Divinos honores propterea consecutus. (c.) Pari calliditate usum

A 2

su-

(a) *XENOPHON Lib. de Republica & Legibus Lacedæmoniorum*, nec non *PLUTARCHUS in vita Lycurgi* Leges ejus elegantissime explicant & commendant. *JUSTINUS Lib. III. Cap. II. & III* summam quandam earum dedit.

(b) *VALERIUS MAXIMUS L. I. Cap. II.*

(c) Notatu autem digna sane sunt verba *Celeb. HEYNI* in *Opusculis suis acad. Vol. II. p. 65.* de *Zaleuco* occurrentia: "In eo autem hærendum non est, inquit, nec hoc fraude aut astutia factum dicendum, quod a *Minerva* Leges suas accepisse narratur, ex antiquorum hominum sensu, is, qui ejusmodi quid pronuntiabat, cum fide id tradere poterat. *Nemo enim vir magnus sine aliquo afflatu Divino unquam fuit*, neque sibi vilis esse. Sapiencia consilia a Diis dari animisque infillari, qui crederent, Leges ferendas, rem arduam, aggressi, ad certum Numen, seu *Jovem*, seu *Minervam*, seu *Apollinem*, recte referebant sua inventa." Hactenus ille.

fuisse *Draconem* legimus, qui Leges Atheniensibus severissimas dedit; (d) quas deinde *Solon* numero septem Sapientum Græciæ clarus, Atticorum Ἀρχων electus, vel immutavit, vel plane abjecit, aliis interea rogatis, ut memoriæ prodidit *Ælianus*: (e) quoque facilius vetustatis amatoribus, utilitatem recentiorum Institutorum persuaderet vir prudentissimus, quemadmodum *Draeco* antea, ita jam ipse *Minervam* eas se docuisse pronuntiavit; (f) pariter *Minoem* Cretenfisibus (g). *Numam* Romanis (h) *Osfridem* Ægyptiis (i) ceterosque plures

Mitius nos quoque Veterum Legislatorum commenta vel traditiones explicandas esse putamus, forte natas ex ratione sermonis figurata, & sine dubio Institutum illud veterum eo spectavit, ut summam auctoritatem observantiamque Legibus suis adderent, atque ut ita earum mutandi pruritus sacrilegii nota infamem redderent, omnesque a novandi ausu arcerent, qui se ipsis coelestibus sapientiores non crederent Numinibus.

(d) Leges Draconis antiquissimi Legislatoris Atheniensium, ob severitatem non atramento sed sanguine scriptæ *Soloni* videbantur qui eas ob eandem causam abrogavit. His erat sancitum, ut omnium flagitiorum una poena mors esset: vid. *GELLIUS Lib. XI. Cap. 18.*

(e) *Var. Hist. Lib VIII. Cap. 10.*

(f) Cfr. *PLUTARCHUS de vita Solonis.*

(g) Cfr. *PLATONIS Opera omnia ex nova Jo. SERRANI interpretatione, Paris. 1578. T. II. p. 319.*

(h) Ita de illo *LIVIVS* accuratissimus rerum Romanarum scriptor: "Omniū autem primum, rem ad multitudinem imperitam, & illis sæculis rudem, efficacissimam, Deo-

res Legislatores, iis originem attribuisse Divinam, Acta Veterum satis superque indicant. Sed inter omnes illos, quos commemoravimus, nemo astutia æquavit *Muhammedem*, Alcorani Auctorem, & magnum Arabibus, reliquisque suis asfeclis Prophetam creditum. Hic enim non solum Epilepticum morbum, quo laborabat, in rem suam convertit, asfeclis persuadens, per Revelationes sibi Divinas factas, hujusmodi extasi se corripit, sed etiam colloquia cum Angelo habere, ab eoque se Apostolum Dei salutari. (k) Initia quoque Legum Gothicarum a veteribus ad Deos relata fuisse, ODINUMQUE (l) Institutis suis originem attribuisse Divinam, ex pandectis Septentrionalium vetustis evinci potest.

§. III.

Artes vero illas, non solum in Politicis, verum etiam in Ecclesiasticis, familiares hominibus fuisse,

A 3 du-

rum metum injiciendum ratus est; qui cum descendere ad animos, sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum Dea *Egeria*, congressus nocturnos esse, ejus se monita, quæ acceptissima Diis essent, sacra insituere &c. *Lib. I. Cap. 19.*

Egeria est, quæ præbet aquas, Dea grata *Camenis*.
OID. *Metam.* 15.

(i) NATALIS COMITIS *Myth. Lib. II.*

(k) WILH. GUTHRIE & JOH. GRAY *Allgemeine Welt-Geschichte Lib. XIX. p. 69.*

(l) Cfr. Nobb. *LAGERBRING & BOTIN,*

dubitari nequit. Ethnicos enim non minus quam
 Iudæos (et Pharisæos et Saducæos)^m) ejusmodi ad
 miniculis usos fuisse, ad placita sua confirmanda, ve-
 nerabilioraque reddenda notissimum est. (n) Hinc o-
 racula, hinc traditiones fictæ & adulteratæ, hinc pro-
 digia & miracula falsa, hinc Vatum Ethnicorum, hinc
 Augurum & Haruspicum artes etc. enatæ sunt. Plures
 Sectæ religiosæ ejusmodi media, ad placita sua homini-
 bus accepta reddenda adhibere conatæ sunt; ac inter
 Christianorum Sectas, usum hujusmodi fraudum, *Gnostici-*
cis imprimis fuisse familiarem tradunt, qui parum ad-
 quiescentes in Religionis illius puritate & simplicitate
 quam Apostoli tradiderant, res novas moliri, suoque ex
 ingenio, religionem fingere, sententiasque varias, inau-
 ditas atque noxias in lucem proferre instituerunt:
 quæ quum præsiidiis egere novis viderentur, nec in
 Apostolorum scriptis, quo confirmarentur, quidquam
 reperiri facile posset, ad fabulas & dolos confugere
 non dubitarunt. Interrogati igitur unde accepissent,
 quæ tam fidenter traderent, varios libros fictos, aut
 mutilatos & corruptos in medium protulerunt, aliis-
 que ejusmodi artibus, ad suas corroborandas commen-
 dan-

(m) Joh. Matth. SCHROECKHS *Christliche Kirchengeschichte*
 I. Theil p. 404. & II. Th. p. 403. edit. II. Leipzig
 1775.

(n) ANT VAN DALE *de Oraculis Veterum Ethnicorum Dis-*
sertt: Amstelodami 1700 Diss. I. p. 21. seqq.

dandasque sententias usi sunt. (o) Praesidium & auxilium hæc consilia in Veterum quorundam Philosophorum (inprimis Pseudo-Pythagoræorum & Pseudo-Platonicorum, ac sic dictorum Eclecticorum) ratione invenerunt, qui licitum non modo sed etiam laudabile esse putarunt, veritatis & pietatis promovendæ causa fallere ac mentiri. (p) Fundamenta igitur harum artium, in hac inepta Philosophia quoad partem esse quærenda, dubium non videtur esse. Hæc eadem doctrina, inde non modo ad Judæos inter Ægyptios versantes, jam ante Christum natum transit, sed etiam satis mature ad Christianos emanavit, celeriterque propagata fuit (q) unde apud hos ac inprimis in cœtibus heterodoxis, (licet neque Orthodoxos a prava hac arte omnino immunes pronuntiare audeamus) (r) magnus numerus Librorum

A 4

brorum

- (o) JO. LAUR. MOSHEIM *Instit. Hist. Eccles. antiquæ & Recentioris Helmstadii* 1764 *Edit. II. Lib. I. Cap. V. §. VIII.* ita diserit: "Qui Novi Testamenti Libros non prorsus repudiabant, illi, aut potestate verborum neglecta, absurdissime eos interpretabantur, aut vero reserendo quæ displicebant, & addendo quæ placebant, nequiter depravabant.
- (p) MOSHEIM *Lib. cit. pag. 81. §. XV.*
- (q) *Ibidem l. et l. c. Cir. etiam Ejusdem Sittenlehre der heiligen Schrift Leipzig* 1778 *Aust. II. Theil VII. pag. 362. & SCHROECKH, l. c. II. Th. p. 404.*
- (r) Ita JO. GEORG. WALCHIUS in *Hist. Eccles. N. Test. Jenæ* 1744 *Tom. I. p. 300.* "Qui scripta apocrypha & supposita componerent ac disseminarent, eorum non una fuit

brorum nascebatur fictorum, ac pleraque scripta, celebribus & fama inelytis hominibus supposita in lucem edebantur: qualia sunt *Carmina* vel *Oracula Sibyllina*, *Libri Hermetis*, *Testamentum duodecim Patriarcharum*, ceteraque ejus farinae. Immo Ipsi *Jesu Christo* Servatori Sanctissimo, (a) *Matri suae Mariae* (b) atque *Apostolis* (c) horumque proximis Di-

ratio, quum alii facerent id consilio forte bono, & ad id comparato, ut rei Christianae confulerent, istamque ab hostium vi defenderent, in antiquum errorem inducti quod veritatis causa mentiri liceat, alii autem erroribus suis praesidium atque auctoritatem comparare vellent, hocque nomine suam astutiam & fallendi libidinem ita exercerent, ut sibi sumerent, aut Libros divino adflatu confectos corrumpere aut alios in eorum locum substituere & in *Prolegom. pag 17.* haecce verba occurrunt: Hoc jam olim factum est, cum ab Orthodoxis, sive Catholicis, eum in finem, ut veritatem promoverent, ac contra dissentientium insultus tutam conservarent, quod quidem vocari solet *pia fraus*, sine causa tamen, quoniam nulla fraus dici potest *pia*; tum ab haereticis, a quibus non pauca scripta Ecclesiastica corrupta sunt.

(a) ex. gr. *Epistola ad Abgarum* Edesae Regem vid. JO ALB. FABRICII *Codex Apocryphus N. Test. Ed. II. Tom. I. p. 317. sqq* ubi haec *Epistola* etiam legitur, & GEORG CHRISTOPH. HAMBERGERS *Zuerge Nachrichten von dem vornehmsten Schriftstellern &c. p. 990. seq.*

(b) *Epistolae IV.* Cfr. FABRICII *l. c. T. II. pag 847. 849.* LAMI *lib. de eruditione Apostolorum Florent. 1738. 8 p. 129.* HAMBERGERS *l. c. p. 309. seqq.*

(c) ex. gr. *Evangelium Nativitatis Mariae, Evangelium Infantiae Christi Protevangelium de Nativitate Christi*

scipulis (d) scripta supponere hi homines veriti non sunt. (e). Similiter inter Judæos reperti sunt, qui Patriarchis antiquissimis, *Adamo, Enocho, Abrahamo* ceterisque affingerent, (f) Quorum auctoritate, nec non pluribus aliis figmentis artibusque doli plenissimis sua quique placita atque somnia confirmare, iisque fidem conciliare nitebatur. (g)

B

§. IV.

Et Virginis Mariæ, Evangelium Thomæ Et Nicodemi Epistola Pauli ad Senecam Epistola Petri ad Jacobum Johannis Epistola ad Hydropicum quendam, Eiusdem *Prophetia de consummatione mundi* nec non *Liturgiæ* variæ Apostolis tributæ, Cfr. *Fabricii l. c. T. I. p. 19.*

39. 128. 238. 148. 238. sqq. T. II. p. 907. 922. sqq. T. 720. 873. 880. sqq. & Hamberger l. c. p. 310. 322. 336. sqq.

(d) ex. gr. *LINI Libellus de passione Divi Petri Et Pauli, CLEMENTIS ROMANI Canones Et Constitutiones Apostolorum. Recognitionum Libri, HERMÆ pastor, DIONYSII AREOPAGITÆ opera*, ut Epistolas taceam *BARNABÆ, IGNATHII, POLYCARPI* quarum saltim aliqua spuria recte censentur. Cfr. *HAMBERGER. L. c. p. 327. 393. 455. 351. 408. 453. sqq.*

(e) Ita *MOSHEIM l. c. pag. 45. §. KVII.* "Non diu post Servatorem in cælum sublatum, varii de vita & sententiis Ejus commentarii, fraudis & fabularum pleni componerentur, ab hominibus forte non malis atque superstitiosis, simplicibus & pie dolosis: quibus alia deinceps accedebant scripta, sanctissimis Ejus Legatis a fraudulentis hominibus supposita".

(f) Cfr. *JO. ALB. FABRICII Codex Pseudepigraphus Vet. Testamenti, Hamburgi 1722. Ed. II, p. 19. 160. 342. sqq.*

(g) Cfr. *MOSHEIM L. c. p. 141. sqq.*

§. IV.

Fraudes autem hujusmodi, quibus, medio ævo, obscuro illo & barbaro, Ecclesia Pontificia, tam studiose ad Hierarchiam suam stabiliendam, usa est, variis ex fontibus emanasse, ac varias ob causas adhibitas fuisse, facile intelligitur. Avaritiam nimirum ac ambitionem immodicam Hierarcharum, ac maxime Papæ Romanæ, non minus quam Monachorum superstitione & Fanaticismo adjutas, his consiliis favisse, indubium est. Manifesta enim radiat luce, ad commoda Cleri stabilienda & augenda, plerosque hujusmodi conatus vel directe spectasse, vel illuc saltim deflexos fuisse. Ad Superstitionem igitur promovendam, venerationem ac potentiam Episcopis & Papæ majorem majoremque comparandam, & totam Religionem in externam quandam speciem, pompa, ritibusque multiplicibus oneratam verius quam ornatam, commutandam omni nisu ferebantur. Laicos a Religione examinanda atque omni in rebus ad eam pertinentibus, jure suffragii excludere, sic dictos hæreticos (h. est illos, qui secus docebant, quam Ecclesia Romana doceri volebat) aut qui sententias receptas, quantumvis absonas & perniciosas oppugnare ausi sunt, vi & dolo opprimere, vehementer allaborabant; unde in illos cuncta licere, & fraude contra eos agere, immo, fidem iis datam fallere, pænisque eos capitalibus, cruciatibusque exquisitissimis afficere & torquere, justum piisque esse urserunt. Ad dominium igitur suum stabiliendum, scripta supposititia, fictos Canones & Epistolas Pontifi-

fi-

ficum, Conciliorum acta atque Decreta spuria fabricasse & adhibuisse, quis mirabitur? Cujus rei documentum luculentum præbet ausus *Pseudo Isidori* (h) cui totum deinde ædificium *Decretalium* ac univèrsi *Juris Canonici* superstructum fuit. Quin superstitionis sublevandæ & lucri Clericalis atque Monachalis augendi causa, falsæ traditiones de miraculis sic dictorum Sanctorum, & reliquiarum illis adscriptarum, imaginumque Sacrarum, de prodigiis in ædibus & locis certis, ac maxime in tumulis (sæpe mentitis) *Martyrum* apparentibus &c. eum in finem confictæ fuerint, ut animos populi fascinarent, eos in tenebris detinerent, ac liberalitatem hominum in Templâ, Ecclesiâ & Monasteria excitarent, dubitari nequit. (i) Qvales ausus qui defendere, saltem excusare etiam post fraudem detectam, non erubescerent, inter Doctores Romanos reperti sunt. (k) In primis Ordo *Jesuitarum*, qui dominationis Pontificiæ

B 2

ciæ

(b) MOSHEIM *l. c.* pag. 291. §. VIII.

(i) Ita RICH. SIMONIUS "Ecclesiastici viri ac præcipue Monachi, abusi sunt simplicitate plebis, per certum quoddam genus piarum fraudium. Fabricarunt vitas Sanctorum secundum ideas suas, supposuerunt reliquias, quas ex oriente dicebant advectas, atque ad majorem illis auctoritatem conciliandam, procesius verbales pro arbitrio composuerunt. Publicabantur miracula frequentia, quasi facta per istas reliquias. Plebs autem credula figmentis istis, undique concurrat ad Templâ Monasteriorum suas oblationes afferens" &c. *Biblioth. Crit.* T. III. p. 331.

(k) Cfr. CHRIST. EBERH. WEISMANNI *Introductio in memor. Eccles. Historiæ Sacræ N. Test.* Pars 1:a pag. 763.

eiaē per bina sæcula, præcipuum fuit fulcrum, ut doctrinam Moralem in multis aliis capitibus corruptit, ita hujusmodi quoque fraudes palliare atque tueri, acriter studuit, eoque impudentiæ procescit, ut fallere ac mentiri virtutem esse defenderet, si res sacra hoc vitio juvari posset. (1)

§. V.

De hujus doctrinæ falsitate & turpitudine, non est quod multis disseramus; quis enim non videt, quam sit a veritate, ita & ab honestate aliena, quantumque simul noxam, quanta mala, quantam mendaciorum & fraudum molem paritura sit? Quod & infelix superiorum temporum experientia, non sine veræ Religionis damno gravissimo comparata, satis confirmavit. Commutavit enim hæc ratio celeriter Doctores Ecclesiæ in Veteratores, externa sanctitatis specie, verbis gestibusque adulatoriis, homines decipientes, atque in fraudum laqueos, conjicientes. More Jesuitarum aditum sibi ad aulas Regum Principumque parabant & animos eorum fascinant; quo facto, facile deinde illis erat in Scholis regnare in iis juventutem decipere atque corrumpere, & sic confilia sua perniciose peragere, errores suos late propagare, vim animorum frangere & debilitare, cogitandi libertatem omnem opprimere & jugo suo mentes subjicere. Quantum imprimis Jesuitæ per has artes, per subtiles sed fallaces suas distinctiones, per cognatam huic fraudi doctrinam de *Probabilismo* (per quem statuere non verebantur, quemque posse segura

con-

(1) Cfr. *Acta Erud. Lips. A. 1683 p. 462 sq.*

conscientia, modo viri cujusdam docti auctoritate, vel verosimilibus rationibus niteretur, quidquid vellet facere, dissentientibus licet aliis & reclamante, quod horrendum dictum! ipsa Scriptura Sacra) (m) de *Methodo dirigendæ intentionis* (quod dogma execrabile sibi finxerunt, ut aliquid desiderati roboris suo probabilismo conciliarent, quoque statuebant, actionis cujuscunque moralitatem, unice pendere ex proposito, quod eam perpetrando intendit agens) (a) & *Peccato* sic dicto *Philosophico* (cujus nomine veniunt omnes liberæ actiones rectæ rationi disconvenientes, patratæ ab agente ipso actu de Deo non cogitans, (b) quod damnare Papa *Alexander VIII* edicto A. 1690 consultum duxit, sicut & *Alexander VII* Probabilistarum propositiones A. 1655. sub poena excommunicationis proseripfit, *Innocentiusque XI* A. 1679 plurima Casuistarum dogmata, ut maxime noxia damnavit & flammis addixit.) (c) ceteraque ad

B 3

Mo-

(m) Cfr. AND. AD. HOCHSTETTER *Colleg. Pufend. Exerc. II. §. 25.*

(a) MOSHEIM *l. c. p. 786.*

Ratio, cur Jesuitæ Methodum hancce dirigendæ intentionis pro mirabili quodam invento haberent foverentque, ea præcipue sine dubio fuit, ut tanto majorem hominum multitudinem ad suas partes fulcipiendas allicerent, eoque cupidius, quanto certius ipsis constabat, plurimos mortalium potentiæ, honoris & divitiarum cupiditate maxime duci; quid itaque mirum, si catervatim eo se conferrent ubi tam benignos nequitiarum patronos deprehenderent?

(b) Cfr. *Acta Erud. Lips. A. 1689 p. 620.*

(c) Cfr. JO. FRANC. BUDEI *Isagoge Historico Theologica ad Theologiam &c. p. 715 & Acta Erud. Lips. A. 1683. p. 371. sqq. 1685. p. 253 & 1695 p. 1 sqq.*

Morum doctrinam penitus subvertendam contulerint homines eruditos non latent; quibus vero nixa remissa atque dissoluta vitæ disciplina. quam tradiderunt improbitati omni & turpitudini fores revera aperuerunt.

§. VI.

Prodigiosam autem hanc et fallendi et mentiendi licentiam, omnibus regulis moralibus adversam, ac universæ Morum Doctrinæ, non minus quam Societati humanæ, summe exitialem esse, facile est intellectu: Etenim si in vita communi licita eadem esset, fundamentum fidei plane convelleret, funditusque everteret. Quæ fides hominum verbis factisque amplius esset habenda, si ejus præstandæ religio, ex cujusque consilio, aliis hominibus incognito, vim suam tota mutaretur? Quo igitur vitæ communis securitas, lætiorque usus, ejusmodi licentia concessa, evaderet? Exterminata autem fide mutua, sensim ipsa Societas humana corrueret. Perversissimum vero simul atque turpissimum, ad bona quædam gignenda, adminiculum, fraudem esse, tum inde patet, quod ea utens, & sensui morali, & probatæ sibi universali regulæ & agendi rationi quam ab aliis exigit, immo sibi ipsi contrarius fit. Quis non videt, quam inconsultum indignumque sit veritatem ejus modi mediis promovere velle, quæ falsitatem involvere ipse sentias? Ac num Diva veritas eget tam turpibus tam ficulneis auxiliis? Quem fugit multo eam, nativo suo nixam robore, magis securam sine ejusmodi auxiliatricibus technis in lucem prodire,

re, atque sine invidia tædioque persistere. Præterea ratio est valde anceps, errans enim quisque suum errorem habet pro veritate; ergo quisque quemque fallere studebit, & nemo poterit alteri fidere. Contendunt quidem nonnulli Morum Doctores, posse Legislatores, & omnes, qui formandis hominum moribus invigilare debent, innoxiiis uti dolis, & medicorum imitari filios, qui, ut ægrorum pervicaciam eludant, sub alieno nomine vel colore illa insinuant remedia, quæ aliàs ægroti averfarentur, ita etiam dicunt, Legislator qui monita salutaria, immo annexas pœnarum minas nil efficere videt, ad artes & vafritiem licite recurrit, uti contra crudelis foret, si rem bonam, quam modo non malo assequi possit, temere intermitteret. Sed nonne tali modo quibusvis fraudibus civitas datur, anfaque præbetur, plura alia invehendi mala, qualia ex doctrina Platonicorum & Pontificiorum profluxisse novimus? Libertate vel licentia illa admissa, facile quis, prava cupiditate abreptus, & seposita salute publica, ambitioni suæ, avaritiæ aut cuicumque affectui (sicut & commodo & utilitati suæ) velificatus, abuti potest. Iis vero omnium, minime assentire possumus, qui in sanctissima nostra Religione, cœlestique doctrina propaganda, ejusmodi sordida adminicula adhibenda esse putarunt; & si quis forte antiquo ævo, talibus usus mediis in promovenda Diva nostra Religione fuerit, (d) illum sane id inconsulto & omnino perverso

B 4

ac

(d) Ita MOSHEIM "Si quod ego præfracte negare nolim, "piis dolis & fraudibus locus etiam aliquis inter propagatæ Religionis Christianæ causas dari debet, ultimum

ac damnando pietatis studio fecisse persuasum habeamus. Nulla enim fraus vel dolus ullus in commendatione doctrinæ Christianæ fuit necessarius, nam ipsa illius natura benefica & salutaris, progressus ejus fatis adjuvat, & illa doctrina quæ sanctam & puram a vitiis & fraudibus veritatem religiosissime commendat, quomodo illa, technis suos promoveri successus, vel probabit vel feret? (e) Quare nec *Moralis* illa, (haud illud apte) a quibusdam Philosophis recentissimis dicta, & commendata Sacræ Scripturæ interpretatio, minime nobis placet, quæ alium quam litteralem ei dare sensum, ab Auctoribus intentum, & communibus interpretationis regulis conformem, cohantur, verbis licet retentis, sed in alium sensum detortis: quæ piæ fraudi valde cognata est. Sed quia temporis angustia vetat nos plura persequi, hic filum abrumpimus.

"tamen sine dubio tenent, & a paucis tantum adhibitæ
"sunt" *l. c. p. 100.*

(e) Ita LUD. VIVES: "Fuere, inquit, qui magnæ pietatis loco
"ducerent, mendaciola pro Religione confingere, quod &
"periculosum est, ne veris adimatur fides propter falsa, &
"minime necessarium, quoniam pro pietate nostra, tam
"multa sunt vera, ut falsa tanquam ignavi milites atque
"inutiles oneri sint magis quam auxilio &c. lib. de *corruptis artibus* p. 79. sqq.